

tione 5. Quamdiu, inquit, apud Bibliopolas epistolæ, conciones, homiliæ, orationes, opuscula, disputationes Patrum, in quibus ex apparatu graviter, & ornate nostra Catholicorum dogmata roborarunt, venerint; tandiu frustra nostrorum

codices prohibentur. Nullus enim Hardingus, nec Sanderus, nec Alanus, nec Stapletonus, nec Bristolus, hæc nova somnia vehementius, quam, quos recensui, Patres infestantur.

V.

LIBELLUS SUPPLEX

Reverendi P. Hieronymi Baptiste de la Nuza, Provincialis Arragonie, Ordinis Predicatorum, Philippo II. Hispaniarum Regi datus, die 22. Augusti 1597.

SACRA MAJESTAS. (1)

Nuntius Apostolicus, qui in vestra Matritensi Curia degit, ac generales Arragonie fidei Quæstiones, ad me nuper Epistolas transmissere; quibus conqueruntur, hujusce Provinciae Religiosos, Summi Pontificis Mandatum, quo nobis circa Divinae Gratia Auxilia silentium indicitur, nequaquam observare. Eaque de causa, mihi, Sanctitatis Suae nomine, præceperunt, ut omnibus Provinciae meae Religiosis rursus inhi-beam, ne de Divinae Gratia Auxiliis ullo prorsus modo in disputationibus, tum publicis, tum privatis, in Concionibus, Lætionibus, seu aperte, seu secreto, agant; illisque moneam, summo cum illis rigore actum iri, si secus eos agere contigerit.

Obstupi quidem ad Mandati hujus significationem. Ac licet (servata, quæ prædicto Nuntio, & Inquisitoribus debita est, obedientia) statim illud per universam Provinciam denunciandum curaverim, interminatis etiam in illius violatores gravissimis pœnis; cum tamen, summo Ordinis damno ea nobis injungi, putem, ad Majestatis Vestrae Clementiam, qua Religiosis ita pie patrocinatur, confugere, damnaque eo mandato nobis illata demonstrare, cogor, ut ei pro sua benignitate modum adhiberi provideat.

Injuncti Provincialis, decessor meus, ne in materia Divinorum Auxiliorum propositiones ulla Religiosi notarent, damnando alias, ceteras, uti fidei dogmata, propugnando. Ac licet mandato suo nullo pacto significarit, hanc fuisse Sanctitatis Suae, ejusque Nuntii, aut Generalis Inquisitoris voluntatem; summa tamen hæcenus religione servatum est. Id autem tolerabile quidem fuit. Verum, ne in Cathedris, pulpitis, privatisque disputationibus, aut alia quacumque ratione, de Divinae Gratia Auxiliis agamus, ea sane res est, quæ nobis citra gravissima incommoda præcipi nusquam potuit.

Sub falsis itaque delationibus injuriam nobis irrogari, sequentibus rationibus reverenter demonstrabo: quas omnes Sacra Majestas Vestra perpendi, quæso, jubeat, ac ponderari. Cum enim Provincia nostra, datis licet nobis tot conquerendi occasionibus, ad hanc usque diem justum animi sensum silentio continerit; nonnullas jam rationes aperiam, quibus ad Majestatis Vestrae patrocinium efflagitandum adigimur.

PRIMA RATIO.

Prima Ratio hæc est. Quamquam facta nobis prohibito legendi de Divinae Gratia auxiliis, rebusque ad illa spectantibus, facile admodum, atque uno veluti verbo, feratur; re ipsa

tamen maximam nobis Theologiae partem interdicit. Tanta enim est hujus amplitudo argumenti, ut graviore, atque ista ætate, contra Lutheranos, & Calvinistas, in quos ita serio Tridentinum Concilium egit, magis necessaria difficultates complectatur. De Auxiliis quippe Divinis agendum venit, quoties de Justificatione peccatoris, de merito æternæ gloriæ, de Libero Arbitrio, de contritione, attritione, pœnitentia, de voluntate Dei, ejusque providentia, æternæque Prædestinatione, de impletione mandatorum, & observatione legis, de actibus virtutum Theologicarum, fidei, spei, & charitatis, atque etiam moralium, dicendum occurrit. Quæ sane amplissimam, gravissimamque Theologiae partem præ se ferunt: de qua propterea ne quid omnino dicamus, consequenter injungitur. Id vero in aperta Scholarum nostrorum everfionem, nec non Studentum, ad nos confluentium, detrimentum maximum cedit, quos, cum excolere, atque instruere debeamus, in ea tamen rerum illarum ignorantia dimittemus, quarum scientiam, atque notitiam absoluta temporum istorum necessitas exigit.

SECUNDA RATIO.

Altera summi momenti Ratio ex hac priorè deducitur: Nempe ex hoc statuto Professorum, Concionatorum, & Confessorum Ordinis nostri, infinitis propemodum serupulis agitatum iri; ne forte Summum Pontificem, & Ecclesiam offenderint. Cum enim omnes prædicti tractatus, quibus tota pene Theologia continetur, aliquid de Divinae Gratia Auxiliis secum ferant; si ita indifferenter de iis quoquo modo agendi interdictum stet, vix fieri poterit, quin mandatum impositum Professores aliquando violent; aut certe in hujus violationis aperto discrimine versabuntur: Quippe vix laudati tractatus auditoribus tradi possunt, nisi quidpiam de Divina Gratia, ejusque auxiliis attingatur. Ac propterea licet iis in partibus irrefragabiles Sacrae Theologiae veritates edoceant, quas ex officio pertractare cogent, continuo tamen serupulo tenebuntur, num mandatum impositum violant, & in latas adversus hujus argumenti tractatores Censuras incurrerint; quod nonnihil de Divinis Auxiliis ex occasione delibant, a quo abstinere impossibile fuit.

Eodem in discrimine Concionatores, & Confessarii versabuntur. Sacrum enim Evangelium, aut ipsa orationis series sapissime postulat, ut de Divinae Gratia auxiliis in Concionibus agant, ut hominem, ad Divinam gratiam debite suscipiendam, in sacris pulpitis, ac tribunalibus instruant; ut lapidea corda ad Divinae misericordiae

TERTIA RATIO.

diæ pro sui emolitione petitionem disponent; ut demum fideles ad secretam illam Ecclesiae orationem (quæ Dominica 4. post Pentecostem occurrit) recitandam invitent: Oblationibus nostris, quasumus, Domine, placare susceperis; & ad te nostras etiam rebelles compelle propitius voluntates. Quæ certe si præsent, gravissimis serupulis tenebuntur, an injunctum nobis præceptum violant.

Clarius, & apertius hujusce rationis potestas privatis, ac familiaribus exemplis innotebit. Doceat, exempli gratia, Theologus aliquis doctrinam illam, quam in Apostoli schola didicit Ecclesia Catholica: Nimirum non stare in nobis Prædestinationis nostræ causam; aut certe eam non esse bonum liberi arbitrii usum; cum is a Divina Gratia, ipsius Prædestinationis effectu, omnino pendeat: quæ profecto veritate totius Prædestinationis Divinae tractatio nititur. Illico Professori serupulus venit, num præceptum violari. Hac quippe propositione altera continetur: scilicet ex eo liberi arbitrii bono usu, consensus efficaciam a Divina Gratia pendere: quod contra recentiores illos Theologos, nunc primum extortos, communi Ecclesiae Catholice voce prædicatur. Pari etiam ratione, incidat Theologus aliquis in illud Spiritus S. Oraculum, Osee 11. Perditio tua ex te Israel; tantummodo ex me auxilium tuum: aut in illud Christi Domini dictum, Joannis 6. Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum: aut in illud: Sine me nihil potestis facere: Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vitro; sic & vos, nisi in me manseritis: aut in illud Apostoli ad Philippenses 2. Deus est, qui operatur in vobis & velle, & perficere, pro bona voluntate: aut in alia hujus generis, pene sexcenta: fieri nequaquam poterit, ut Patrum interpretationes referat, nisi honorum illorum operum efficaciam a Divina Gratia repetat. Quæ in re in latum mandatum offenderit.

Idem de Concionatoribus dicendum. Pulpitum ascendat Concionator, proferatque ex locis laudatis aliquem: si eos interpretari velit, non dicam, juxta Sanctorum Patrum reconditiorem intelligentiam, sed familiari expositione dumtaxat adducta; idem periculum imminet. Nusquam poterit aliquem Divi Pauli contextum asserre, qui toties Divinorum auxiliorum efficaciam commendat, nisi de Liberi Arbitrii infirmitate pariter dicat. Nec dabitur locus Parabolæ Evangelicæ vineæ interpretandi, ex qua Christus Dominus, attenta gratia suæ efficaciam, concludit: Erunt primi novissimi, & novissimi primi. Nullatenus etiam fideles ad petendas a Deo vires poterit adhortari, ut, quoties sanctas inspirationes immittit, gratia efficaciam auxilium addat, ne eas forte respuat, sed excipiat: sic quippe in latum mandatum impingeret. Nec plebem devotissimas sanctorum Orationes, quibus Divinae gratia auxilium petitur, docere licebit. Nec Sancti Francisci humilitatem, qua, se mortalium nequissimum futurum fuisse, dicebat, nisi Divina gratia obfuisse, ad imitationem licebit adducere. Nec demum illud Augustini Lib. 2. Confessionum, Cap. 7. usurpare fas erit: Gratia tua deputo quæcumque non feci mala. . . Omnia mihi dimissa esse, fateor, & quæ mea sponte feci mala, & quæ, te ducente, non feci. Procul igitur, si hujusce mandati habeatur ratio, a FF. Predicatorum ore abscedent pissimæ illæ sententiæ, quæ Sanctis Augustino, Anselmo, Bernardo, Bonaventura, Catharina Senensi, aliisque bene multis in deliciis fuerit, & ab iis ad ædificationem nostram scripto commendatæ.

Serry Tom. II.

Nedum variis serupulis erga SS. Dominum nostrum tenebuntur Professores, Studentes, Concionatores, ac Confessarii Ordinis nostri; verum etiam continuo apud alios timore concutientur. Etenim nostri hæc in parte adversarii adeo solliciti, ac diligenter invigilant, ut, nulla missa occasione, tanquam venatici canes, Professores nostros, Studentes, ac Confessarios odorent; num verbum aliquod de Divinae Gratia auxiliis proferant; quo illos e vestigio, velut mandatorum Apostolicorum violatores, traducant. Viros, sibi devotos, ad Scholasticos actus nostros submitunt, subdolis argumentis intructos, ut multiplici consecutione ferie Theologos nostros ad nonnulla de Divinis auxiliis dicenda pertrahant. Immo ipse etiam Societatis Rector, hora octava ferotina, lanternam deferens (cæca quippe nox erat) nonnullos Doctores Theologos domum addit, ut illos ad disputationem adversus nostros concitaret. Quod quidem, si Vestra Majestati placeret, certissimis testimoniis demonstrabo. Nec ab simili modo, menie mox elapso, post propugnatas in hocce nostro Prædicatorum Collegio Valentiano Theses de scientia Dei, unde nonnulla licet eminus, ad Divinae Gratia auxilia trahi possunt, consilium domi habere, habitata totius disputationis, dictorumque notitia, ut secum deliberarent, num Religiosorum Respondentem violati Pontificii mandati accusare possent. Videat Vestra Majestas, quo pacto solerter, & aitate se gerant, quæve ratione eorum adversum nos accusationes declinare poterimus; cum & adeo indifferenter sit mandatum, & si in scrutandis sermonibus nostris adeo solliciti vigilent, tantaque demum calumnias nobis struendi materia suppetat. In meta itaque semper erunt Professores, Concionatores, ac Disceptuli, nam illos in iudicium vocatura sit Inquisitio; num injuriam patietur aliquam Ordo noster; num severa animadversio alicui nostrum impendeat. Quod certe perinde est, ac si nobis Sacrae Theologiae, Doctrinaeque Evangelicæ, & Ecclesiasticæ professio interdicatur.

QUARTA RATIO.

Quarta Ratio, quæ nos eo Mandato gravatos contendimus, magni etiam momenti videtur: quia videlicet nos pacifica possessio, in qua quisque servandus est, desicit. Nota certe est communis agendi ratio, naturali jure asserta, atque ubivis gentium comprobata: Ubi quis pacifica, ac seculari possessione alicujus rei fruitur, si alter in jus veniat, qui id suum esse velit, non illico propterea dimittitur. Omni quippe jure, Melior est conditio possidentis, quam recentioris præsumptis. Nos autem ab annis amplius trecentis doctrinam S. Thomæ profitemur, eamque, repugnante nemine, legitimam in Scholis, universa etiam Ecclesia comprobante, & plaudentibus Academiis. Speciatim vero imperturbata possessione fruimur ea publice docendi, quæ de Divinae Gratia auxiliis a Sanctissimo Doctore suscepinus. Assurgunt jam nunc, qui de nova fidei doctrina præsumunt, nobisque Scholas, & ora præcludi, volunt. Numquid pacificæ nostræ possessioni inferatur injuria, cum, nulla ejus, majorisque conditionis habita ratione, in nullo superiores, immo potius inferiores habeamur?

Rem clarius aperio. Aur ea in parte sana est S. Thomæ Doctrina, vel mala. Nemo certe eam dixerit malam: quippe tota ab Urbano V., quem nonnulli ex errore sextum appellant, uti vera, &

Bb 2 Ca-

(1) Ad Caput 25. Libri 1. Hist. Auxiliorum. Ex Hispano Latine datur.

Catholica; a Joanne XXII., uti miraculis plena, commendata est. Innocentius autem hujus nominis VI., illius impugnatores, de veritate suspectos pronuntiavit. Ac demum Pius V., unanimi Cardinalium assensu, veteres, ac recentiores hæreses hujus ope prostratas, asseruit. Idque jam inde compertum habemus, quod in omnibus, ab ejus morte celebratis, Conciliis generalibus, ac specialiter in Florentino, Lateranensi, ac Tridentino, doctrina ipsius usurpata sit, multaque ex illa fragmenta de verbo fuerint dehortata. Nec id mirum, cum & Christus illam semel, atque iterum commendaverit; eamque Virgo Deipara, Sancto Doctore conspicua, comprobaverit, uti gravissimum Scriptorum fide liquet. Si igitur doctrina hac bona est; quorsum illam tueri, ac predicare prohibetur, quibus defensionis ejus jus specialiter titulo est assertum? Tamen enim id in uniuscujusque officio positum videatur, propterea quod Sanctorum Patrum doctrina sit, & ab Ecclesia vulgo suscepta; singulari tamen Ordinis nostri lege tenetur, in hujus defensionem assurgere, ad ultimum usque spiritum. Qua utique ratione nobis injungitur, ne ad illius defensionem respondeamus; hocce potissimum tempore, quo propter damnum, Scholis nostris illatum, deturbatamque possessionem nostram, ita sollicite adversarii nostri omnia movent, tentant, adiungunt, ut ad eam evertendam, collatis consiliis, conspirasse videantur?

Licet porro Patribus Societatis a S. Ignatio justum sit, quæta Constitutionum parte, Capite 14. ut in Theologia Scholastica doctrinam D. Thomæ sequantur; jam tamen satis, superque demonstrarunt, quam ardenti studio ad eam potius defendendam intendant. Quod quidem, tum novis in dies vulgatis opinionibus, tum inhonestis diatribis, tum libris, adversus ejus doctrinam prælo datis, aperte conspicitur. Næ, quæso, rem iudicaram, quod speciosum D. Thomæ Interpretis titulum nonnulli eorum arripiant. Licet enim, in ipso librorum limine, illum firmam Ecclesie Columnam, Scholasticæ Theologiæ Solem, Epitomen veritatis, & sapientiæ, inexpugnabilem fidei Arcem appellent; postmodum tamen, quasi illos tot egiogorum præiteat, ejusdem doctrinam oppugnant: hæcque ipsam occasionem arripiunt, ut nedum sese cum illo inhoneste conferant, sed & in eum ambitiosius attolant. Id in Molina, hujusmodi Comœdiæ auctore, videre est; qui, arrepto D. Thomæ Interpretis nomine, præmissisque magnificis illis Angelicæ doctrinæ titulis, in illam subinde adeo petulanter insurgit, dubitari ut merito possit, an in Augustinum Pelagium impudentius declamarit. Postquam enim utro factus est, illius de Divina Gratia doctrinam communem esse Sanctorum sensum; illico eam adeo falsam esse, subjungit, ut inferri ex illa possit, Deum seivum, seivam, ac crudellem futurum. Ac demum concludit, ex Sancti Thomæ, aliorumque Doctorum sententia blasphemias opinionem necessario consequi; sic ut nulla ratione capiam, quo pacto illa in Sanctissimum Præceptorem, seu verum, in universos Ecclesie Catholicæ Doctores, conviria sustineri quadantebus possint. Propterea de Patribus Societatis dicendum venit, quod de Florentinis, sibi revera quidem adversariis, verbis vero sibi blandientibus, dicere solebat Joannes XXII., illos Christi satellitibus esse conferendos, qui illum, dato Regis titulo, colere videbantur, sed, impactis alapis, illudebant.

Cæterum ne, quæso, putet Vestra Majestas, eos præsumptionem illam lente, ac placide promoveret. Etii enim de Divinæ Gratiæ auxiliis si-

lere videantur; id nihilominus minime præstant; quin potius opiniones suas, dactis undequaque quæternionibus, disseminant: Lectores, ut eas in Scholis edoceant, discipulos, ut illas ebibant, irrequieta sollicitudine stimulant; remque se maximam consecutos, existimant, si a D. Thomæ doctrina, uti minus secuta, minusve Catholica, (Ecclesia licet judicio repugnante) deterruerint. Præterea plurimos sibi in Scholis devincunt, & obstringunt; quia omnes ea opinione solerter inficiunt, nimirum ipsorum ope, quidquid libuerit, facile obtineri; a Clericis Beneficia Ecclesiastica, a Jurisperitis Clientes, a studentibus Sacros Ordines, a Doctores publicas Cathedras, ab omnibus denique vitæ commoda: eaque arte suas per vim novitates promovet.

Sic, cum non ita pridem in Academia Valentina gradus adipisceretur Doctor aliquis, qui eorum novitates propugnabat; illuc Jesuitæ, instar ingruentium imbrium, confluxerunt, auctoritatem Respondenti addidit; illorumque unus assidentis sibi Clerico peccillustri inquit: *Novèrit Dominatio vestra, virum hanc plurimam eruditionis polere, & Cathedram quantocius occupaturum, ut veteranam hujusmodi doctrinam eliminet.* Jam tunc Cathedram ipsi certo spondebat ille, quod eorum nutu, ac voluntate conferri solet; solidamque, & antiquam doctrinam, ab Ecclesia hæcenus probatam, & usurpatam, veteranam contemptum appellabat. Ex quo profecto, quid machinentur ii, quidve tentent, aperte colligitur; quantaque necessitas urgeat, ut doctrinam adeo sanctam, tot titulis propugnandam, ab oblivione vindicemus.

QUINTA RATIO.

Quinta Ratio, in Superiorum confirmationem, ex perpetua universalis Ecclesie consuetudine petitur; quæ adeo diligenter intendit, ne novæ doctrinæ prædeant, easque ex ipso sola novitatis titulo suspectas habet; infinitis propemodum Scripturæ Sacræ Oraculis nixa, potissimum vero Apostoli dicto, 1. ad Timotheum, capite ultimo: *O Timothee, depositum custodi, devotans profanas vocum novitates, & oppositiones falsi nominis scientie.* Quocirca plurima, ac plane Divina in rem nostram habet Vincen-tius Lirinensis in aureo Libello contra profanas hæreticorum novitates. Unde novam doctrinam inducentibus silentium imponere consuevit Ecclesia; præsertim, si cum receptis ab antiquo fidei dogmatibus contendant, donec de subductæ doctrinæ novitate plane constet, non secus ac civitates, pestilentia suspicione laborantes, neminem advenam, nisi diu præpuratum, aut probata diligenter sanitatis fide, intus admittant: notos autem cives, utpote minime suspectos, nullo præmissio viarum examine, sponte recipiunt. Sic Ecclesia militans, perpetuo hæresis, corporea lue deterioris, metu agitata, adjacentes plagas, uti perverfarum doctrinarum peste infectas, circumspicit; doctrinæque, recens inductas, non ante admittit, quam diligenter explorarit, an eum recepta Sanctorum Patrum Traditione conveniant. Verum doctrinam antiquam, in Conciliis approbatam, prædicatam in pulpitis, a Patribus traditam, a Fidelibus exceptam, nullo examinis onere præmissio, in sacra Pulpita, & Academiis admittit. Talis est S. Thomæ doctrina de Divina Gratiæ Auxiliis, ab universis hæcenus excepta, nec alios, nisi Pelagium, Cœlestium, Julianum, cæterosque hujus fortis hæreticos, adversarios experta: contra quorum pestifera dogmata, mirum, quantum Ecclesie suæ providerit Deus.

Qua

Qua etenim die Pelagius, liberi arbitrii contra Divinæ Gratiæ efficaciam superbus elator, in Anglia natus est; ea ipsa Augustinus, Divinæ Gratiæ supra liberi arbitrii infirmitatem potentissimus Vindex, in Africa lucem apexit.

Quibus profecto constitutis, manifestum est, nobis hujusmodi doctrinæ publicam professionem interdici, aut silentium imperari non posse: eos autem, qui hac in parte novitates inducunt, in iudicium iusto vocari debere, eorum libros interdici, ora obstrui; atque interim serio perpendi, num eas ex infecta falsis principis regione, an e sana Theologia derivarint; num e Sanctorum Patrum monumentis, an e lucubrationibus hæreticorum obtinerint; num demum eas Divinæ Gratiæ magnificandæ zelo, an humanæ captandæ gloriæ stulta libidine venditarint? Observat siquidem S. Hieronymus, nonnullos eo fine novas opiniones eudere: quod sane de Patribus istis non immerito creditur. Quippe cum ante Mandatum istud emissum, Moliniana de Divina Gratia dogmata illorum nonnemo defenderet; obijcienti cupiam Theologo, frustra Augustinum, cæterosque Sanctos ingenia sua torresse in Divinæ Gratiæ Mysteriis detegendis, si vera supponerentur Molinæ figmenta, respondit Jesuita, disputationis Prætes: *Gratias quam maximas Molinæ referendas esse, qui ea ingenii acuminis penetravit, ac revelavit, quæ antea nemo penetrasset, ac revelasset.* Quod cum preteris ipse audirem, Ecclesie, hujusmodi propudia sustinentis, tolerantiam obstupui.

SEXTA RATIO.

Sexta Ratio est, quod periculosus, & Ecclesie usibus plane repugnans, inducatur agendi modus. Ad hanc usque diem permutæ, eaque graves, inter S. Thomæ, Scoti, Durandi, Ochami, Henrici de Gandavo Discipulos, disputationes emerferunt: illorum tamen nemini venit in mentem, ut adversæ parti disputandi facultatem ab Apostolica Sede, aut a Sacra Inquisitione interdici, postularit; sed suam quique sententiam disputatione promovit, donec, quæ verior esset, Ecclesia definiret.

Primi ea servandi silentii mandata Patres Societatis invexere, quia sibi ab aliis contradicere ægerime ferunt. Ac licet tenuiori iudicio polleant, multa in ea agendi ratione prospicio, quibus, faxit Deus, ut remediis detur locus, quo tempore afferri tentabitur. Nonnulla dicam obiter, quæ sciri ab aliis, expedit.

Primum est, Patres Societatis, Ecclesie Catholice, illiusque Capitis Romani Pontificis iudicium, tanquam ultimam rerum credendam regulam, non excipere, sed Societatis ipsius, ejusdemque Doctorum definitionem. Abiit, ut in hoc hariolari velim. Legantur, si libet, eorum Constitutiones, 3. parte, cap. 1. littera O, ubi, licet cautum sit, ne novas opiniones admittant, continuo tamen additur: *Si quis aliquid sentiret, quod discreparet ab eo, quod Ecclesia, & Doctores communiter sentiunt, suum sensum definitioni ipsius Societatis debet subijcere.* Digna sane verba, quæ unicuique Doctore Catholico stuporem inferant! Pariter in glossa cap. 1. partis 8. earundem Constitutionum, iis, qui recens studia consummarunt, serio præcipitur, ut se opinionibus in Societate communiter receptis, accommodent. At non illos ad communes Ecclesie Catholice, e jusve Doctorum sententias auscultandas mittunt.

Alterum est, Patres Societatis novas quotidie doctrinas, & opiniones obrudere, quas brevi tempore plurimas, & gravissimas fuisse, prospiciet, quisquis attenderit. Hoc illorum unus thesibus publicis defendit, Mulieres suscipiendis Ordinibus saltem minoribus idoneas esse: Alter, in Trinitate tres Personas proprie emanare: Alter, aquam Calici infusam, vino licet non immixtam, consecrari, & in sanguinem Christi converti. Eorum nonnulli docuere, Extremam Unctionem Japoniis Mulieribus conferendam non esse, quod nimis sint verecundæ; quod tamen illorum unus, collatum hoc idem Sacramentum Beatissimæ Virgini, scripserit: quasi ea Japoniis Mulieribus minus verecunda esset. Alius publicis thesibus inscripsit, Præceptum fraternæ correctionis vulgo inter Religiosos minime servandum, repugnante licet S. Augustini Regula, ab Ecclesia comprobata. Alter scripto tradidit, Sanctorum Imagines culta, a S. Thoma tradito, coli non posse; cum tamen eam S. Thomæ sententiam Ecclesia ipsa definierit. Alii in Pulpitis perinde, ac in Scholis periculosissimas opiniones diffeminant de Confessione generali, sub certis conditionibus faciendâ. Alii ex suggestu docuere, Confessionem, & Absolutionem per litteras fieri posse. Alii in hacce Cathedrali Ecclesia prædicarunt, non esse pro universalis Ecclesie orandum, quod videlicet illa falli non possit; Deumque specialiter de peccatore, quam de petra, providentiam non habere. Quæ omnia si serio perpendantur, perspicuum fiet, Synodos olim, ad errores minoris momenti proficibendos, convenisse; Theologosque Societatis novitates in omnibus penè tentasse, cum imitatos, qui, ut vulgari fertur adagio, experiri voluit, an Ecclesie dentes eximere possent.

Tertium est, quod, cum ita fingendis novitatibus intendant Jesuitæ, adeo tamen ægre ferunt, sibi ab aliis contradicere, ut Principum Ecclesiasticorum, ac Secularium Aulas clamoribus implent, & pia (quod mirandum magis) sibi adversantium studia, quasi fuscitata scandala, criminantur. Novam profecto, sed illis interium familiarum indultiam! Statim atque religioſus aliquis Ordinis nostri nonnulla docet, contra quæ ipsi vel dixere, vel docuere, tamen, nulle propugnata veritate, illos nullo modo indignitari; statim devotorum suorum, ac devotarum domos circum-eunt; id sui occasione factum, conqueuntur; nosque ipsi implacabile bellum inferre, pacem perturbare, Apostolica mandata pessumdare, oblatent. Multa hac de causa sinistre expostulant, quibus & populum commovent, & suis partibus addicunt; sic ut e re Catholica Superioris existiment, novis nos pro bono pacis præceptis onerare. Hæc ergo si feratur agendi ratio, nedum cæterorum, uti moliantur, Scholas occultent, libros præpedient; sed & crescentibus in dies novitatibus, & interdista confutandi venia, quidquid demum sanæ doctrinæ est, eliminabunt. Ac si semel contra debitam Summo Pontifici, Regibus, Episcopis, Inquisitoribus, obedientiam, no-tent aliqua, eo etiam suscitandi scandali prætextu, ad præcludenda sibi adversariis ora, mandata rogabant, & obtinebant. Quibus propterea sacrum illud Eliæ ad Regem Achab responsum accommodari merito potest, dum dicenti Regi: *Tunc es ille, qui conturbas Israel?* Respondit Propheta: *Non ego turbavi Israel, sed tu, & domus Patris tui, qui deliquisti mandata Domini, & secuti estis Baalim.* (1)

Compertum omnibus est, tandiu in Hispania pacem

pacem esse servatam inter Religiosos Ordines, quoad Divinorum Auxiliorum, illorumque efficaciam doctrina, juxta SS. Augustini, & Thomae principia, tradita fuit: multaque Hispanos, hujus doctrinae Vindices, a Deo beneficia fuisse consecutos. Verum ex quo tempore Ludovicus Molina, ejusque gregales, fanaticos propria vertiginis partus Patrum sententia praeulerunt, Scholae depravatae sunt, mutuisque diffidiis, ut alias Gibellinorum aetate, Hispania laetata est.

Et certe, quis aequo animo ferat, quae a Patribus illis continuo proferruntur; illos scilicet scandala excitare, qui eorum novitatibus contradicunt? Siquidem ab institutione Ordinum SS. Dominici, & Francisci, contrariae inter utriusque Instituti viros opiniones existere; nec tamen eorum aliquam partem alteram excitari scandali accusaverit; sed cum opinionum repugnantia summa fuerit animorum conjunctio. Idem de ceteris Ordinibus, ac ipsi etiam Sanctissimis antiquae Ecclesiae Patribus, Augustino, & Hieronymo dicendum venit. At quis Patres Societatis ea ut arte, miretur, si injecta suis adversariis fuscitati scandali accusationes, res suas feliciter promoveant, & pro votis obtineant?

Ceterum, quae nunc inde futura mala prospicio, prospexit etiam Illustrissimus Episcopus Canariensis, Melchior Cano, cujus verba refero ex Epistola, data ad optimum Patrem Regla, Ordinis S. Augustini Carolo V. Imperatori a Confessione, ubi sic scribit: *Vinam & mibi, quod olim Cassandra, non accidat, cui non est data fides, donec Troja incendio perisset. Si quo modo caperent Patres Societatis, peregere permitterentur, scilicet Deus, ne tempus tandem adveniat, quo Reges obistere eis velint, nec possint.* Nihil miror haec ab eo dicta: quippe unus ex praecipuis Viris, qui inter ipsos hac in patria floruerunt, (dum visitationem Societatis, auctoritate Majestatis Vestrae, ab Illustrissimo Episcopo Manrique obeamdam, atque ad illo vehementer optatam, avertentur) cuidam de nostris, dolore tactus, ac gemitibus ait: *Effecerunt jam Patres nostri, ne Illustrissimus Episcopus apud nos visitationem obiret. Contra ipsam etiam Ecclesiam Dei Societas prevalere tentabit, & adveniet.*

SEPTIMA RATIO.

Septima Ratio est, quod Mandatum hoc, perpetuum Societatem inter, & Ordinem nostrum rixarum seminarium sit. Tanta enim proprii honoris invidia tanguntur, ut in eos viribus omnibus aditatur, qui ipsi non adulantur, aut illorum consiliis obstant. Sic ob id unum, quod F. Hieronymus Roman, Ordinis Sancti Augustini, non eo in libris suis, de Societate decore alicubi scripserit, ad illorum voluntatem; non antea quieverit, quam solum illud expungi fecerint. Idem, immo quid pejus, in Patrem Mariadagum Carthusianum moverant; quod in Brunonis Vita, Serenissimo Principi, Domino nostro, dicata, dixisset, Patres Societatis ad Carthusienum Ordinem transvolare posse. Quin etiam Barcinone, cum ea contra se dicta suspicarentur, quae P. M. Medina in Summa sua de Confessione generali, & complicitibus asseruerat; haec, privata auctoritate, quasi Inquisitorum juri pollerent, sustulerunt, dum secundis typis mandata est: quae res gravissima, adversus illos expostulationi materiam subministraret. Implacabiles itaque quarimonias contra Professores, & Concionatores nostros quotidie deferant: Nunc Professore, nunc Concionatorem, de emissio circa Divinae Gratiae auxilia verbulo accusabant: Nul-

lus demum illis criminatum finis erit: nobisque illatarum injuriarum, de quibus postea dicam, sensus nunquam deficiet.

Addam praeterea, Mandatum hoc perpetuae nobis in Jesuitas amaritudinis ansam daturum: Quoties enim, de Divinis auxiliis agendi data occasione, se praepeditos sentient Professores, ac Concionatores nostri, toties ipsis injuria, ut putant, a Jesuitis illata memoria recurret, tantoque gravius, quanto ceteros, seu Clericos, seu Religiosos, ea de re liberius tractantes, ac Societatis causam agentes, animadvertent. Illos enim ubique gentium suas in partes pertrahere, adnituntur; hac praesertim aetate, qua, silentibus nobis, eorumque gregalibus palam loquentibus, triumphum agunt.

Id autem diu perseveraturum, existimo; quia omni conatu contendunt, ut controversia ista nunquam definitur, & a Sacra Inquisitione non declaretur, quid sit ea in parte tenendum. Sciunt etenim, Thomistarum doctrinam, upote Augustinianam, & ex pluribus Scripturae Sacrae locis peritam, (quibus Divinorum Auxiliorum efficacia ad singulos actus bonos commendatur) damnationis periculo minime subesse; nec tanquam haereticam, vel suspectam, vel maleficientem, proferri ulla modo posse: Molianam vero iis omnibus ritibus, aut certe illorum aliquo efficiendam, suspicantur, si ad definitivam sententiam venerint. Verenturque, ne penes adlocutorem, tum ob turbas in Hispania excitatas, tum ob contemptam petulantem SS. Augustini, & Thomae auctoritatem; tum potissimum ob susceptum in aliquibus Pelagianorum, & Lutheranorum patrociniis, dum videlicet Augustinum contra Pelagianum, recentiores vero Theologos contra Lutheranos durius egisse, contendit. Propterea causam illam non fecerit sopiendam, nec benigna, & occulta animadversione componendam, praesentunt: sicut ob propugnatas Valentiae Theses, quibus pertinaciter asseruerunt, tres Sanctissimae Trinitatis Personae proprie emanare; tunc enim adeo occulta animadversione castigari facere, ut perpaucis innotuerit, obtpubente meritisimo iustis urbis Praefule, cui publicis error publica retractione luendus videbatur.

OCTAVA RATIO.

Octava Ratio est, quod jam aliter nobiscum agatur, quam ab ipso Ordinis exordio actum sit. Accepta a Sanctissimo Parente nostro Dominico obsequia, ad sanam doctrinae defensionem, adeo grata habuit Ecclesia; ut in grati animi significationem, Summi Pontificis, & Antiquitatis plurima Ordini nostro beneficia, ab ipsa sui institutione, rependerint. Infinitos propemodum Albigenses, tam disputatione, tum praedicatione, tum impleto per S. Dominicum Inquisitionis officio, profligavit Ordo. Subinde, agente, ac promovente S. Petro Martyre, recentes Manichaeos, in universa Lombardia grassantes, fudit. Postmodum Sabatharios, urgente S. Raymundo de Pennafort, in Catalonia debellavit. Tum Alberti Magni, & S. Thomae Aquinatis gloriosos laboribus Guillelmum a S. Amore, ejusque gregales, nec non haereticos flagellantes exagitavit. Innumeros subinde Begardos, Beguinas, & Fraticellos, toto Orbe dominantes, variorum Inquisitorum industria, exilio, igne damnavit. Demum Religiosissimi Patris Bartholomaei, ejusque sociorum zelo, integram haereticorum regionem in Armenia vocavit ad fidem, teste Summo Pontifice Innocentio VI. Haec primo instituti Ordinis saeculo FF. Praedicatorum gloriose praefecerunt.

terunt. Nec minora deinceps, ad haec usque tempora, ab ipsis gesta demonstrare, facile esset. Quibus permotus Philippus Bergomensis, Augustinienis, Praedicatorum Ordinem fluvio Tigris, magno impetu profluente, comparavit; quod videlicet adversus haereticos, perversaque dogmata, summo semper impetu decerantur.

Jam vero dicant, amabo, hujus Ordinis Obrectatores, quas haereticorum sectas confutarint, quae obsequia Ecclesiae insignia praefecerint? Quod haecenus praestitit Ordo Praedicatorum, deinceps, optulante Dei gratia, ejusque faventibus efficacibus auxiliis, uti bene speramus, praestare non desinet: ut certe venerabilis Mater Theresia a Jesu, variis inter Revelationes, quibus a Deo donata est, vidit aliquando FF. Praedicatorum, evaginato gladio, plurimum hominum multitudinem interficientes; ipsique coelitus significatum est, eo Symbolo stragem adumbrari, quam adversus haereses illaturus; sicut refert Ribera Societatis Jesu.

Nec exigua, favente Deo, Hispania beneficia contulit idem Ordo. Non hic retulerim, Serenissimis Regibus, seu bello, seu pace, obsequia praestita: Non illa memorem, quae, ad fovendam in Scholis, & Academicis sanam doctrinam, exhibuit. Ea obiter indigite sufficere, quae relata, probatae sunt in causa solemnium Canonizationis S. Raymundi de Pennafort, qui, paulo post S. Dominici obitum, Inquisitionem in Hispaniam invexit; unde integritas fidei servata est. S. Vincentius Ferrerius, viginti primum, tum octo Judaeorum millia vocavit ad fidem, ac demum, promovente servo Dei Joanne de Turremcremata, infiniti propemodum ejecuti sunt. Quod tanto Hispaniae emolumento fuit, ut quaecunque accusatores nostri haecenus egere, cum eo conferri minime possint. Qua igitur ratione ita dure cum iis agitur, qui, tanta fide, sua Ecclesiae obsequia doverunt? Quo jure iis ora pracluduntur, qui ea, tanto Ecclesiae, & Regni bono, aperuerunt? Quo demum titulo, tot obsequiis nota, probatae Ecclesiae famula, cum altera, recens amissa, aequali forte conferretur? Per haec igitur obsequia Majestatem Vestram supplex obsecro, ut hanc meam Supplicationem serio perpendi, jubeat. Quietis enim, ac paci provifum iri, bene spero, si quae mox dicturus sum, attentius ponderentur: omnes quippe aemulorum nostrorum criminationes cumulatifime diluant.

Querimoniae Patrum Societatis adversus Fratres nostros.

Cum mecum serio cogitarem, quid Superiorum nostros adeo adversum nos commovere potuisset; ex eorum tandem transmissis Epistolis aperte novi, id ex Patrum Societatis criminacionibus ortum ducere: Quae licet re ipsa fuit, atque sinistra, ita tamen ab illis laryate obducta sunt, ut Superiorum fidem extorserint, eosque ad mandata nobis, quasi inobedientibus, imponenda, in dies adduxerint. Et quidem id negligentiae nostrae debitum fuit; siquidem nedum illatas nobis frequentes injurias silentio regimus, verum nec iis quidquam reponimus, qui adversum nos maximo damno criminantur. De his est longus mihi sermo esse possit, nonnulla saltem brevier dicam, ne officio omnino desim. Vestrae Majestati sincero corde testabor, illos ipsos eas nobis injurias intulisse, quas sibi ipsis a nobis illatas, conqueantur; nosque iis in capitibus laesos esse, quibus se laedi criminantur; solitoque adagio hic locum esse: Qui plus furatur, plus clamat; & qui gravius peccat, altius queritur.

In primis coram Majestate Vestra, aut certe coram Inquisitoribus Generalibus, & Nuntio Apostolico, de hujus Provinciae inobedientia expostularunt, quod in isto Valentino Ordinis Praedicatorum Collegio Theses publice propugnatae sint contra Doctrinam Ludovici Molinae, de interdictis Divinae Gratiae quaestionibus, die 27. Aprilis, Praefide R. P. Hieronymo de Gamarra. Hujusque praesentis delicti gravitatem auxerunt, adeo ut R. P. Generalis noster, urgentibus praedictis Inquisitoribus, & Nuntio Apostolico, post probatam licet per plures menses pronam nostram erga Praepositos obedientiam, mihi geminatis literis distincte praeeperint, ut facti reos ad ceterorum exemplum severissime castigarem. Equidem, si talis esset falsitas ista, & machinatio, ut aliquo veritatis colore duci posset, non mirarer admodum, illos criminacionem hujusmodi detulisse, Theses profereendo, Praefidem designando, notando diem: at ille ipse, qui contra nos ita clanculum expostulavit, evidenter ostendit, id non historiae, sed fabulae, & machinationis loco habendum esse. Non enim Theses illae apud nos propugnatae sunt, aut hujus nominis Religiosum hic novimus: paratissime sum, extrema quaeque ferre supplicia, si talis apud nos Religiosus existeret, aut si in hac Provincia nostra hujusmodi Theses habitae sint. Nullatenus capio, quo pacto ita audaciter expostulationem adeo aperte falsam deferre potuerint; nisi quod nos etiam, a Superioribus dure exceptos, silentium servavimus, existimant: sicut re ipsa servavimus haecenus. Si vero se in ea accusatione deceptos, fateantur, easque Theses, non in ista Provincia, sed alibi habitas, dicant; hinc innotescet, quem enormiter, ac caeca fronte nos onerent, ut culpam in nos transferant; quamque res ultra modum augeant, ut nos putidis imposturis, Superioribus nostris odiosos faciant.

Nec vero ea falsis nos expostulationibus infamandi ars apud illos nova est, sed antiqua admodum, & annis elapsis usurpata. Dum ad Visitationem simul cum quodam Inquisitore pergeret P. M. Petrus Blascho, & Inquisitionis Egidium in Insula Cretenfi publicaturus, necessarium duxisset, accepta occasione, nonnulla de Confessionibus generalibus, in concionibus habere; illico Patres Societatis eundem ipsum Inquisitorem talibus adversus illum accusationibus convenerunt, (sicut ipsemet fassus est) ut nisi Concioni praesens ipse fuisset, praedictum Patrem in gravissimum periculum conjecissent: adeo finit, ac diverse dicta ejus exposuerunt. Apposuerunt non ita pridem in Thesibus suis R. Pater Praesentatus Didacus Mas propositionem aliquam, apud Theologos receptissimam, de Auctoritate Summi Pontificis, ad Leges pro privati Ecclesiae, aut Religionibus ferendas: continuo Thesim illam, suis Constitutionibus repugnantem, existimantur Jesuitae, unde Inquisitorem circumvenientes, propositionem, fidei repugnantem, a praedicto Patre Thesibus inscriptam fuisse, conqueuti sunt; rogantque, ne illas publice defendi sineret. Rem ita veritate exposuerunt, ut illum re ipsa Inquisitor accerfiri jufferit. Comparuit ille Thesim suam rationem redditurus, aperuitque, quam falso rem accusatores exposuissent. Verum Inquisitor, ne ullo pacto delatam propositionem expungeret, sed illam cum ceteris publice defenderet. Idem aliis vicibus accidit; nec dissimili arte, silentibus nobis, manifestas injurias intulerunt.

Conquerantur secundo, & quidem apud plurimos Superiores, (quemadmodum ex transmissis ipsorum Epistolis accipi) adversum eundem Patrem

tem Didacum Mas, Universitatis Valentinae Professorem, & hujusce Conventus filium, quod publice, & magno cum scandalo, de Divinae Gratiae auxiliis legerit; eumque, uti excommunicatum, ob violata Pontificia mandata, hic apud devotos suos passim traducunt. Qua in re gravissimam nobis injuriam irrogant. Nulli enim hujusce Provinciae Religioso, Sedis Apostolicae, aut S. Officii nomine, significatum fuerat Mandatum aliquod, antequam ipse, susceptis Arragoniae Inquisitorum Epistolis, mense Julio mox elapso, significaverim. Equidem P. M. Joannes Vincentius Provincialis, Decessor meus, privato dumtaxat nomine prohibuerat, ne propositiones ullas de Divinae Gratiae Auxiliis aliqua censura afficeremus; nequaquam tamen vetuit, ne hoc de argumento in Cathedralis, aut pulpitis, privatim, aut publice tractaretur: quod summa religione servatum est. Immo, licet, Constitutionum nostrarum praescripto, Provincialium Mandata post consummatum officium ligare desinant, illud nihilofcius perinde servatum fuit, ac si Provincialiatum suum minime consummasset. Quo itaque jure eos, ut inobedientes, accusant, quibus Mandata non innotuerant, dicente Apostolo: *Ubi non est lex, nec praevicatio?* Quo etenim tempore de Divina Gratia legit P. Didacus Mas, nihil de legendi interdictione noverat, nec illud praeselectionum suarum argumentum propria sponte selegerat, sed jubente Academiae Rectore. Quo autem loco agit S. Thomas de gratiae necessitate, ejus dumtaxat mentem nude, ac simpliciter aperuit, Molina, aut quocumque Societatis Auctore perinde insulatus, ac si nunquam in vivis existitissent. Tantumque abest, ut scandalum excitaret, quin potius supra trecentos Discipulos auditores habuit, Jesuitis admodum dolentibus, quod illorum Professor vix decem, aut duodecim haberet. Viderint itaque, qui praedictum Patrem adeo indecore, velut excommunicatum, infamant, nosque omnes, ut inobedientes, accusant, quantum probatione deficiant, & ad famam refarciendam teneantur.

Tertio, gravari se, conqueruntur Patres Societatis, a Patribus nostris Majoricensibus, quos simul cum Minorum Provinciali propositionem aliquam de Divina Gratia a quodam Franciscano Professore Thesis inscribi, curasse, ajunt. Id nonnullis circumstantiis auxerunt, quas nequidem possibile existimaverim: Fratresque nostros ob id potissimum reos agunt, quod jam tunc Interdictum emissum esset. At ex iis, quae supra, occasione alterius injuriae, dicta sunt, liquet, nullam eis re ipsa illatam esse; cum Majorica nullum unquam ea in re Provincialis Mandatum existitit; multo minus Apostolicae Sedis. Ad dam, quae proprio ipse experimento hac in parte novi, ac etiam gessi. Dum Bibili ante Natalem Domini versarer, invisi me Societatis Provincialis, ac de Fratibus nostris Majoricensibus conqueisus est. Respondi, permolestum mihi esse, quod Societatem offendissent; me tamen illos innocuos existimare, ob ignorantiam Mandati Decessoris mei, quo ab omni Conclusionum, aut Propositionum Censura temperandum, injunxerat: ceterum ipsis satis notum esse affectum meum, quo Societati, ad integram satisfactionem, gratificari vellem. Id a me sincero animo dictum excipere, merito poterat; cum satis universa Societas norit, quae sibi praestitisset officia, quantaque humanitate me gessissem, ut omnes offensionis occasiones averterem, potissimum anno elapso, in Capitulo Generali in domo celebrato. Cum enim juxta Ordinis morem, e Provincia

Lusitaniae Theses publicas defensus accessisset aliquis, in quibus nonnulli de Divinae Gratiae Auxiliis habebatur; significantibus Patribus Societatis, id Nuntio Apostolico minime probatum iri, seque illud injuria loco habituros; effecti, ne de ea Conclusionem tractaretur; tamen id agere ferrent nonnulli aliarum Provinciarum Magistri, quibus videbar, cum Ordinis nostri damno, Societati plus aequo gratificari. Quapropter Majoricam protinus scripsi, Fratibus nostris injungens, ut Patres Societatis satisfactionem convenirent; id ignorantia mandati factum dicerent, seque summa pace cum ipsis velle agere, atque etiam obsequi, significarent; nec absumilia Patribus Jesuitis Majoricensibus scripsi. Satisfactionem grato animo Provincialis, ceterique Patres Societatis exceperunt, quemadmodum ex Epistolis Praefati Collegii Majoricensis perspicuum est; quibus nedum Societati factum satis, attestatur, sed & letari se vehementius, significat, quod desideratam diu pacem Societatem inter, & Ordinem nostrum promovissem. Addidit Vir bonus hanc statuendam inter nos pacis rationem satis lepidam; quod scilicet in nullo profus dum istae Religiones discriminentur; nihilque sit aliud Societas ipsa, quam Ordo Praedicatorum, quo primum tempore sub S. Dominico floruit. Quae profecto verba cachinnum mihi commoverunt: quasi vero communia nobis ista forent, Chori assidua, tum de die, tum de nocte frequentatio, perpetua a carnibus abstinentia, septemestris jejunium, laneorum indusiorum usus, dura paupertas, ceteraque, quibus maceratur Ordo noster? Ut ut est, inter tot illa honestatis, & humanitatis officia, clanculum eorum Nuntio Apostolico adversum nos expostularunt, ac etiamnum ubique expostulant. Qua in re, ipsa per se patet injuria, qua nobis, pacifice licet, & amanter agentibus, bellum inferre fatagunt.

Quod quartam injuriam attinet, ea certe minor est, quam sibi illatam conqueruntur, quam quae nobis illata est. Dolent etenim, hac in domo fuisse propugnatum, teneri Religiosos ad observantiam praecipitae de correctione fraterna, nobis a Christo Domino in Evangelio traditi, quia id suis Constitutionibus contrarium existimant. Equidem non capio, qua fronte id injuria loco habeant, cum ipsi potius & Religioni nostrae, & Sacro Evangelio injuriam irrogarint anno 1595. mense Octobri, dum contra S. Augustini Regulam, nostrasque Constitutiones, a Sede Apostolica approbatas, atque etiam contra Sacrosanctum Evangelium propugnarent, nullam Religiosos inter fraternae correctionis legem servandam esse; sed illorum culpas, quantumcunque secretas, Superioribus denunciandas. Ac licet perverfa fuerit propositio, typis mandata; peior tamen ea fuit, quam verbo in ipsa Theses defensione protulerunt: nimirum Religiosos omnes ex pura malitia peccare, nullamque in eis spem emendationis superesse; adeoque vanam in eis fore fratrum correctionem. Quae quidem non nisi ab iis, qui ita perverse de Religionibus omnibus sentiunt, proferri unquam poterunt. Quanquam porro Cajetani auctoritate propudium illud tueri vellet, qui nonnulla ea de re obiter scripsit; si tamen legatur ille, ac D. Thomas, necnon Sancti Patres, quos in Secunda-secunda laudat, agendo de peccatis Religiosorum, constat, quam scandalosa fuerit ea propositio, ac doctrina Theologorum illorum. Ceterum, tamen illos, ad injuriam nobis irrogandam, Theses illas defendisse, videamus adversus Regulam S. Augustini, quam profitemur, quamque adeo probat Ecclesia, ut eam

Ordines plusquam viginti profiteantur (ex quibus unus, videlicet Canonico Regularium, tot Sanctos peperit, ut pro qualibet anni die, trecenti sexaginta numerentur, quemadmodum Anastasius Bibliothecarius in Catalogo Sanctorum, Carolo II. Imperatori nuncupato, attestatur.) tamen cum propositionem expresse positam videamus adversus Constitutiones nostras; quae, ut ait Pius II., scribens ad Mahumetem, Constantinopoleos Imperatorem, universo Orbi lumen afferunt, quaeque a S. Dominico, aspirante Divino Numine, exaratae fuerunt, uti, sibi a Christo revelatum, S. Brigitta in approbatis revelationibus fidem fecit: tamen, inquam, haec omnia probe noscimus, non tamen Orbem commovimus, nec in oppositum expostulavimus; sed solum in Thesis, ante paucos dies, in ista Valentia domo propugnatis, propositionem hanc opposuimus: *Servanda est inter Religiosos correctio fraterna. Haec opportuna est ad proximi emendationem; nec potest his in casibus privatus Religiosus cedere juri suo.* Illi autem protinus ad Inquisitores, ad Nuntium Apostolicum, & ad quoscunque potuerit Superiores, confugerunt, adversum nos expostularunt. Quis id patienti ferat animo? Quasi vero liceat ipsis, palam in Thesis declamare adversus Constitutiones, & Regulas nostras, immo etiam, ut videtur, contra Evangelium, fraternae correctionis solatium nobis eripiendo; nequaquam autem nobis liceat, propugnare, ea sancte statuta esse, quae nostris Regulis, & Constitutionibus sanciantur? Profecto, quid futurum de nobis, ignoro, si qui nobis eas injurias inferunt, se ipsos injuria affici, conqueantur.

Quintam injuriam, quam sibi a nobis illatam dicunt, in eo constituunt, quod illos infamemus, ipsorumque Scriptoribus obloquamur. Quae sane quo jure ab ipsis venditentur, profus ignoro: Hoc enim in capite, uti & in superioribus, ipsimet ab illis gravibus afficimur. Si enim de Scriptoribus ipsorum agimus, id ad summum in Scholis nobis accidit, juxta ceterorum omnium consuetudinem. At illi in Scriptoribus nostros, arrepta Inquisitorum auctoritate, animadvertunt: nec iis dumtaxat obloquuntur, sed & illos emendare praesumunt. Nec satis ipse capio, an excusari patientia nostra possit, dum ea recolimus, quae annis elapsis Barcinone contigerunt. Animadvertentibus Bibliopoli, quanto applausu excepta fuisset Patris Magistri Medicinae Summa Confessorum, Salmanticae typis edita, eam secundis typis edendam, judicavit. Huic se negotio immiscuit Rector Societatis Collegii Barcinonensis, qui quaecunque de Confessione generalibus, & de complicitibus in Confessione non revelandis, in Summa sua scripserat Medina, propria auctoritate expunxit, quae Societatis praxi repugnabant. Eane audent illi, nisi patientiam nostram, immo verius negligentiam in illorum ausibus propulsandis exploratam haberent? Certe, cum adeo vitiosa esset Molinae in 1. partem elucubratio, nemo tamen nostrorum procurare ausus est, ut illam Typographi aliqua sui parte circumciderent. Quid itaque suam illi in nostris Auctores auctoritatem exercent.

Sextam injuriam obtendunt, quod illos debito honore non prosequamur. Rem ludice festivam! Cum accepissem, Patres Societatis Majoricae de Fratibus nostris graviter conqueri, ob illatam sibi, ut aiebant, solemnem injuriam, Visitatorem delegavi P. M. Andream Valaquer, hujusce Conventus Valentini Priorum, qui in facti veritatem inquireret, ipsosque Patres Societatis distinctim interrogaret, quid rei esset: qui se a nostris despicere responderunt, quia in publicis Thesis primae locum duobus Patribus Franciscanis supra

duos Societatis Theologos dederant. Gravem certe injuriam, cujus occasione universum Orbem commovere, necesse fuerit! Quali vero Societas Seraphico Ordine sit antiquior, aut Sanctorum multitudine celebrior; vel aliqua existeret, pro disputantium ordine, Thesisque distributione, constituta Lex! Accessit tamen specialis quadam ratio ultimam Patribus Societatis locum concedendi. Invaluit scilicet ibi consuetudo, ut qui ultimo loco disputat, extemporaneam orationem sub finem habeat: hancque Conventus nostri Prior Patri Societatis, ibidem praesenti, committendam censuit, quod peritus Rhetor haberetur. Verum potiori jure dixerim, eos pro vicibus admitti, ut famam nobis eripiant: Illi enim ipsi sunt, qui nobis praeripere moliantur titulum Praedicatorum, quem, ad S. Dominici obsequia recognoscenda, nobis concessit, & confirmavit Ecclesia. Idque clanculum moliantur, devotis suis injungendo, ne nos Fratres Praedicatores, sed Dominicanos appellent: adeo ut, qui rem paulo attentius advertere, inducunt satis in Hispania hujus appellationis mutationem, ex quo ipsi sunt instituti, facile deprehendat. Officium pariter Magistri Sacri Palatii Apostolici, quod ab ipso S. Dominico ad haec usque tempora imperturbate tenuimus, auferre nobis, Romae tentarunt. Gregorius XIII. ad id impulerunt: At re tanti momenti in publico Consistorio pertractata, censuerunt DD. Cardinales, recentiores esse Jesuitas, quam ut locum hunc praeripere Praedicatoribus possent, qui tanta pro Ecclesia sustinuerant. In urbibus, in quibus constituta sunt Academiae, omnia movent, ne Cathedras obtineamus. Hinc videre est, num ii potius injurii nobis sint, qui se a nobis injuria affici conqueantur. Sexcenta proferrem alia, de quibus jure conqueri possumus: at ne quidem visitamus, aut ea recolimus, Sacro Evangelio religiose obsecuti. Quin etiam, quae haecenus dicta sunt, minime reficissem, nisi nobiscum ita injuriam actum esset, ut, dum injuriam sustinemus, illatae injuriae acculemur.

Demum, eas de nobis querimonias perseveraturos, sentio, donec, quidquid habemus, sponte cesserimus: nec omnino scimus, quo pacto cum illis nobis agendum sit. In Augustinum, Thomam Aquinatem, Bonaventuram, si jam viverent, quantacunque sanctitatis sint, declamatos illos crederem, ac etiam longe durius, quam unquam in nos declamarunt. Quapropter ad praescindendas omnes querelarum occasiones, conficui, & injunxi, ne nos ad illorum auctus Scholasticos disputaturi accedamus, nec ipsi vicissim ad nostros: Quia facilius mihi visum est, per extantum funem ire, quam cum ipsis pacifice conversari. Si enim, post suscitatas novitates illas, ad disputationem accedunt, non sicuti nobiles luctatores, oblectationis, & exercitationis causa, sed uti sanguinolenti bellatores, omnia pro arbitrio venditant; ac de D. Thoma, tanquam de commentitio Doctore, obloquuntur. Id non ita pridem evenit in quadam Scholastica Exercitatione, apud nos habita: ita contemptim de D. Thoma, ejusque doctrina disserere, ut meritis P. Magister Salon, Ordinis S. Augustini, hujusce Academiae Professor emeritus, eorum auidiam indigne ferens, nec patientiam nostram in sustinenda injuria satis probans, in causam palam ingressus sit, & in Jesuitam disputantem severe animadvertit. Addidit Vie eruditus, Patres Societatis, ea in D. Thomam petulantem elatione, malum aliquod grande portendere. Quae cum ita sint, longe satius erit, si omnes propriis domibus commoremur. Probabimus, an eo saltem pacto, bona nos pace frui, sinent: Vestramque Ma-

statem, ejusve Administros perpetuarum contra nos expostulationum, quibus ab iis oneramus, fastidio liberabunt. Faxit Deus, ne ob id ipsum novam in nos questionem intrudat, quod ad illos disputaturi non accedamus. Sed clamitent, quantum libuerit, Deum apprecor, ut illis simul, ac nobis veritatis suae lumen infundat, Sanctorumque doctrinam, qua tot ad salutem erudita sunt animæ, ipsemet tueatur.

Concludendum ergo. Cum pacem Jesuitas inter, & nos vehementer optet Vestra Majestas; spondeo, me eam pro viribus promovendum. Cumque ad eam promovendam necesse sit, ut ad illos, qui de nobis ita temere conqueruntur, non accedamus, rogo Majestatem Vestram, ut id nobis benigne concedat, atque, ad omnes rixarum occasiones præcendendas, nobis inhibeat, ne de nobis invicem ullo modo dicamus; neve Auctores

vel nominemus, vel notis afficiamus; ne demum ad Scholasticos Actus mutuo veniamus. Spondeamus, nos omnia ad amissum servaturos, nec de iis, eorumve Auctoribus, opinionibus, aut libris memoriam ullam habituros. Quemadmodum enim trecentis annis adeo sine illis floruit Ordo noster, ut universo Orbi in deliciis, & admiratione fuerit; ita sine ipsis, Deo favente, perseverabit, ad omnia tamen officia paratissimus. Tanti accepti beneficii memores, Deo Optimo Maximo supplicabimus pro Regia Majestatis Vestre incolumitate, quam ad sæciles annos Ecclesie sue diu servet. Datum in nostro Conventu Valentino Ordinis FF. Prædicatorum, die 22. Augusti, anni 1597.

F. HIERONYMUS BAPTISTA DE LA NUZA,
Provincialis Aragonie.

V I.

INDICULUS

Locorum omnium LUDOVICI MOLINE, qua ad quatuor ejusdem Concordie principia revocata fuerunt; & in primo cause hujus examine expensa, damnataque sunt, a GREGORIO CORONELUO, Congregationis Secretario, digestus, (1)

IN prima, secunda, & tertia Congregatione, actum dumtaxat de scopo, & principiis Ludovici Molinæ.

In quarta Congregatione agi coeptum, de concursu Dei generali, an sit influxus in causas secundas?

1. Ludovici Molinæ opinio est, quod Dei concursus generalis non sit influxus in causas secundas, quasi illa, prius mota, agant, & producant suum effectum. Ita habet in Concordia, Editionis Antverpiensis, quæst. 14. art. 13. disp. 26. §. Dicendum: & in Commentariis ad 1. Partem, eadem quæstione, disp. 6.

2. Quæ de concursu Dei generali cum causis secundis docet, eo dirigit, ut similiter philosophandum esse dicat de concursu Dei cum libero arbitrio. Ita declarat in Concordia, quæstione 14. art. 13. disp. 29. & 30. in principio utriusque. In Concordia Ulyssipponensi, disp. 23. & 29. Et in Commentariis ad 1. Partem, quæstione eadem, disp. 9. §. Ad primum. Et disp. 10. §. Cum ex dictis.

3. Dicit deinde, Deum, per concursum generalem cum causis secundis, efficere unam integram causam, coalescentem ex duabus partialibus; non secus ac, cum duo trahunt navim. Ita habet in §. Ex dictis, quæst. 14. art. 13. disp. 26. similiter philosophatur de auxilio generali supernaturali, & libero Arbitrio, in Concord. quæst. 23. art. 4. & 5. disp. 1. memb. 6. ad 1. Et q. 14. art. 13. disp. 12. §. Est tantum.

4. Hanc opinionem ea potissimum ratione sustinet, quia existimat, præmotiones, & applicationes causarum secundarum ad suas operationes multum præjudicare libertati arbitrii nostri. Ita asserit disput. 27. (2) §. In primis, §. Adde; Et §. Attendit dicit, Auctores contrarie opinionis arbitrii libertatem de medio tollere, & rem efficere de solo titulo. Unde §. Item, & §. Præterea, ait, concursum illum, cum quo cause applicantur, esse omnino commentitium. Similiter docet in Comment. ad 1. partem disp. 7.

In 5. Congregatione actum de modo divinitus influendi in actiones liberi arbitrii naturalis.

5. Proponit Ludovicus Molina, principium, quod Deus simul cum causis secundis producit effectus, in Deo nihil aliud esse, quam generalem quandam voluntatem, qua statuit, ita omnibus causis præsto esse per hujusmodi generalem concursum, ut, quoties illa natura necessitate, vel sponte sua, ac voluntate cooperarentur, ejusmodi influxus sequeretur. Ita in Concordia, quæst. citata, disp. 26. §. Ut melius. Et in Commentariis, eadem quæst. disp. 6.

6. Huc spectant, quæ docet in Concordia, quæst. 14. art. 13. disp. 33. §. Novem, ubi sic inquit: Deus opera nostra bona moralia, quæ a cooperatione libera nostri arbitrii, & non a solo concursu Dei generali pendunt, ut existant, vult in primis voluntate conditionata, si & nos pro nostra libertate ea volumus, &c. Prævidens ergo, quæ eorum, pro nostra libertate, sint futura, complacet in illis, vultque absoluta voluntate, ut sint. Ita in Editione Antverpiensi: sed in Ulyssipponensi, & Veneta habetur disp. 32.

7. Et §. Decimum, inquit, Deum indifferenter esse velle universalem causam quarumvis aliarum actionum, & effectuum, quasi in confuso, quos nos voverimus; eo quod ita ad nostrum meritum, ac libertatem expedit.

8. Similiter philosophatur de concursu speciali ad actus supernaturales: Nam in Concordia, quæst. 19. art. 6. disp. 2. & in Commentariis, eadem quæstione, ait, voluntatem Divinam non determinari absolute ad actus humanos studiosos, sive naturales, sive supernaturales, ante prævisionem liberæ cooperationis humanæ, nec applicare voluntatem creatam ad earum productionem; aliter enim existimat, tolli libertatem arbitrii.

9. Hinc q. 14. art. 13. disp. 39. in editione Antverpiensi: In Concordia vero Ulyssipponensi, disp. 37. sicut & in Veneta, §. Illud præterea, do-

docet, liberum hominis arbitrium modificare, & quale auxilium gratiæ adjuvantis.

10. Dicit etiam, influxum generalem Dei, pro diversitate concursuum causarum secundarum, ad varias operationes, & effectus distrahi, ac limitari. Ita habet in Concordia Antverpiensi, q. 14. art. 13. disp. 26. §. Et vero, & §. Ut melius, prope finem. In Edit. Veneta, disp. 6.

11. Ex hoc principio colligit, eodem numero concursu Dei generali, & particulari liberi arbitrii, quo producitur unus, & idem numero actus, in genere naturæ, posse indifferenter produci actum virtutis, moraliter bonum, & actum vitii: ac p̄inde interdum neque majorem, neque alium Dei concursum requiri, ut producatur actus virtutis, moraliter bonus, & actus vitii, & peccati. Ita habet in Concordia, disputatione 32. (1) §. Legitima, & disp. 33. §. Quartum, quæstione 14. art. 13. & in disput. 32. §. Tertium.

In eadem Congregatione, de viribus liberi arbitrii ad actus morales, & ad actus, qui sunt ad Justificationem necessariis.

12. Cum solo concursu generali Dei, absque alio dono, vel auxilio gratiæ, potest homo efficere opus bonum morale, quod fini naturali hominis accommodatum, atque, comparatione illius, sit vere bonum, & virtutis opus. Ita habet in omnibus editionibus, in Concordia, q. 14. art. 13. disp. 5. in principio.

Augustinus, vel Auctor libri 3. Hypognosticon, c. 4. loquitur de bonis vitæ præsentis, ut velle laborare, habere vestimentum; Molina vero de actibus virtutum moralium. In quo videtur adversari Augustino, lib. 4. contra Julianum, cap. 3. ubi contendit, in Ethicis aut nullas fuisse virtutes veras, aut Dei dona fuisse.

13. Potest homo, cum solo concursu generali, elicere actus, qui ad justificationem infidelis adulti sint necessarij, quoad eorum substantiam, nimirum credendi, sperandi, diligendi, & penitendi. Ita docet in Concordia, quæst. 14. art. 13. disp. 7. per totam disputationem.

Quod non requiratur habitus supernaturalis, ut assensus, ex parte credentis, sit certus.

14. Propositus, & explicatis iis, in quorum cognitionem solo lumine naturali non possumus devenire &c. in facultate liberi arbitrii est, cum solo concursu generali Dei, iidem rebus assentiri, tanquam a Deo revelatis. Ita habet in Concordia, disp. citata §. Ut ergo, & §. Affirmans pars.

15. A culpa mortali non sunt excusandi, qui, auditis iis, quæ fides docet, post adductas rationes, quæ asseri solent ad persuadendum, a Deo esse revelata, assensum non præbuerunt ex viribus naturæ. Ibidem.

16. Et disp. 11. probat, infidelitatis peccatum posse incurrī, etiam dum gratia præveniens liberum arbitrium non tangit; quia Deus suo auxilio præsto est ad præveniendum in eodem instanti, quoscumque præviderit, ex suis naturalibus ad assensum conatuos. Legatur tota disputatione.

17. Non ob eam causam ponendus est habitus fidei, ut intellectus facile assentiar; neque ut actus assentiendi sit certus, & firmus, certitudine, & firmitate ex parte credentis: sed quoniam, ut illi actus sint accommodati fini supernaturali, opus est, ut eliciantur vel per auxilium particulare, vel per habitus supernaturales. In Concordia, quæst. 14. art. 13. disp. 8. §. Ex dictis.

Serry Tom. II.

(1) Id Edit. Ulyssippon. disp. 31. 32. Similiter & in Veneta disp. 32. In Antv. 33. §. Tertium.

18. Rudes levibus persuasionibus, auctoritateque aliorum, potius quam judicio, adducuntur ad credendum. Ita habet in Concordia, quæst. 14. art. 13. disp. 7. §. Quinto. Loquitur autem de Fidelibus baptizatis, ut ex antecedentibus liquet.

19. Solet Deus, dum adultus notitias accipit prædicatione, & instructione alicujus &c. quasi se inferere per dona gratuita. Ita docet in Concordia, quæst. 14. art. 13. disp. 9. §. Hinc, & §. Potest tertio.

20. Interna Dei vocatio ad fidem, licet donum Dei sit, multum tamen a Ministris, & conatu Ecclesie pendet. Ibidem §. Ex dictis.

21. Quia regulariter, propter miseriam naturæ humanæ, nullus, in Deo naturaliter cognoscendo, colendo, eique obtemperando, facit totum, quod potest; inde fit, ut vix ullus, supra communem concursum, aut præter leges ordinarias, a Deo institutas, supernaturaliter illuminetur. Ita habet eadem disputatione §. Patet inde. Possimus colligere secundum Molinam: Ergo, si faciat totum, quod potest naturaliter, illuminabitur supernaturaliter.

In 6. Congregatione de actibus diligendi & penitendi.

22. Vocatio Dei interna multum pendet a libero arbitrio; in eadem disputatione §. Patet tertio.

23. Magis indignus est, ut supernaturaliter adjuvetur, & vocetur is, qui sinistra intentione, quam qui paratus obedire veritati, eamque amplecti, ad audiendum accedit: rationique valde consentaneum est, ut hunc potius, quam illum misericorditer adjuvet &c. Ibidem.

24. Idem docet de excitatione interna fidelis ad penitentiam per gratiam prævenientem: immo & de illuminationibus, & auxiliis, quibus justificati, a Deo adjuvantur &c. Pendet enim, ait ille, a Ministris, & conatu Ecclesie, atque a libero arbitrio &c. Sic habet in eadem disputatione §. Quod.

25. Ibidem inquit, dum similibus cogitationibus excitatur voluntas, quasi inferere se solet Deus, infunderetque affectum amoris, aut timoris supernaturalis, quibus prævenit, allicit, & quasi invitat voluntatem ad contritionem, aut attritionem, &c. Legatur totus ille paragraphus, & §. Illud deinde.

26. Tandem disp. 14. inquit. Potest homo impius, & peccator, cum solo concursu generali Dei, per solas vires suæ naturæ, habere dilectionem Dei super omnia, & contritionem, qua doleat de omnibus peccatis, cum proposito servandi omnia mandata Dei. Ita habet membro 1. §. 1. ubi asserit, hanc propositionem negari non posse. Rationem reddit §. Ratio. Vide diligenter, & attente perpende, quæ asserit membro 5. §. Post hanc, & sequenti.

Actum quoque fuit in hac 6. Congregatione de victoria tentationum ex solis naturæ viribus. Exponit Molinæ locus in Concordia, quæst. 14. art. 13. disp. 19. memb. 2. ubi hanc sententiam, quasi Augustinianam, & Thomisticam, amplectitur. Quod in statu naturæ lapsæ, cum solo concursu generali Dei, dum rationis judicium non omnino absorberetur, cuicumque gravi tentationi, magnæque difficultati, in quocumque temporis momento, potest homo ex viribus naturæ resistere.

In 7. Congregatione rursus actum de viribus liberi arbitrii ad actus, qui ad Justificationem sunt necessarij, scilicet fidei, spei, & charitatis.

Cc 2 27. Quo-

(2) Ad Caput 2. Libri 2. Hist. Auxiliorum. (2) Hac disp. 27. fuit addita post Editionem Ulyssippon.

27. Quotiescumque liberum arbitrium ex suis viribus naturalibus conatur &c. a Deo confertur gratia preveniens. Ita habet in Concordia, q. 14. art. 13. disp. 10. in principio.

28. Et post alia, in eodem §. Quare, sicut Deus semper præsto est per concursum generalem libero arbitrio, ut naturaliter velit, aut nolit, prout placuerit; ita præsto illi est per auxilium gratiæ sufficientis, ut, quoties ex viribus naturalibus aggredi voluerit opus aliquod ex iis, quæ ad justificationem spectant, illud exsequatur, prout ad salutem oportet.

In hoc sensu explicat illud Joannis 1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri; & illud Pauli: Deus vult, omnes homines salvos fieri.*

29. Explicans vero illud, *Sto ad ostium, & pulso*, inquit: Plane, sine ulla intermissione, ad ostium cordis stat, paratus semper, conatus nostros adjuvare, desideransque ingressum.

30. In Concordia q. 14. art. 13. disp. 19. mem. 1. & sequenti: cum viderit Molina, sententiam Patrum esse valde consonam decretis Conciliorum, quod homo in natura corrupta non potest suis viribus naturalibus resistere, etiam per breve tempus, tentationibus difficilioribus, sine speciali auxilio, & dono Dei; conatur nihilominus defendere oppositum, & solvere argumenta, ex Patribus, & Conciliis desumpta.

31. In Editione Antverpiensi an. 1595. membro 6. addidit Paragraphum quemdam, qui incipit, *Forto mirabitur*: in quo satis aperte, quid de hac re sentiat, explicavit.

32. In Concordia, quæst. 14. art. 13. disp. 38. In editione Antverpiensi, disp. 39. §. *Quod*, inquit: Quare, cum solo concursu generali Dei, puto, post acquisitos habitus fidei, spei, & charitatis supernaturales infusus, posse liberum arbitrium, unum, aut alterum actum fidei, spei, & charitatis elicere, qui a concursu habituum supernaturalium habebunt, ut sint supernaturales. Idem dicit disp. 4. §. *Quod*.

Ibidem ait: Eodem modo credo, intellectum, per se ipsum lumine gloriæ, cum solo concursu generali Dei, posse producere visionem beatificam. Idem existimo de cæteris supernaturales causis secundis, quæ suapte natura aptæ fuerint ad supernaturales effectus producendos.

In 8. Congregatione, de dono perseverantiæ, & Divinæ Gratia efficacia.

33. Primi Parentes in statu innocentia, ad vitanda lethalia peccata, perseverandumque in gratia, non egerunt auxilio supernaturali superaddito, sed per quodcumque tempus potuerunt ab omni peccato, tam veniali, quam mortali, abstinere. Ita habet in Concordia, quæst. 14. art. 13. disp. 4. §. *Quare*. In tota autem illa disputatione, nihil aliud facit, quam, more suo, persuadere, potuisse Adamum, in illo statu per accepta dona perseverare de facto, si voluisset, absque alio novo auxilio: sed tamen de facto non perseverasse, quia noluit.

34. Potuit homo in eodem statu per dona supernaturalia fidei, spei, & charitatis, ac gratiæ, cum communi auxilio Dei, operari salutem suam, vitamque æternam promereri, absque aliis auxiliis specialibus. In eadem disputatione, §. *Communis*.

35. Cum auxilio, quo unus usque ad finem vitæ perseverat, potest, si velit, non perseverare: Et cum auxilio, quod Deus confert, præstare est conferre ei, qui non perseverat, potest perseverare, per eumque stat, quod non perseveret. Ita docet in Concordia, quæst. 23. artic. 4.

& 5. disp. 1. mem. ultimo, §. *Secundum est*.

36. Hinc colligit, duo esse necessaria ad donum perseverantiæ; unum ex parte Dei, videlicet, ut ea auxilia conferre voluerit, cum quibus, prævidebat, adultum pro sua libertate perseveraturum: alterum ex parte arbitrii, tanquam conditionem, sine qua voluntas conferendi talia auxilia non habuisset rationem voluntatis conferendi donum perseverantiæ; nempe, ut adultus, pro sua libertate, ita sit cum aëis cooperaturus, ut perseveret: quod in potestate ipsius est collocatum. Ibidem.

Huc spectant, quæ de gratiæ efficacia docet: sed de his in alia Congregatione.

In eadem Congregatione, quid sentiat Molina de gratiæ efficacia, seu de duobus aequaliter vocatis ad fidem?

37. Ludovicus Molina in Concordia, q. 14. art. 13. disp. 12. §. 1. prope medium, hanc ponit Conclusionem: Si duo aequales per omnia, & in omnibus, conspiciant eandem mulierem pulchram, evenire potest a sola libertate arbitrii utriusque, ut unus consentiat in peccatum, concupiscendo; alter non item.

38. Hinc colligit: Eadem est ratio de eodem modo affectis, aequaliterque a Deo ad fidem vocatis; pro sola namque eorum libertate evenire potest, ut unus amplectatur fidem; alter vero eandem contemnat.

39. Et disp. 40. in Editione Antverpiensi, in Editione vero Ulyssipponensi, disp. 38. §. *Antequam*, hæc habet: Sciendum est, nos non negare communem illam distinctionem auxilii sufficientis in (1) efficacem, & inefficacem: Ita tamen, ut efficacem libertatem arbitrii, ac proinde meritum, & laudem ab eo non tollat; sed in potestate ipsius sit, nihil tali auxilio impediendo, non converti; atque adeo casum, inefficacemque illud reddere.

40. Quo fit, addit ille, ut divisio sufficientis auxilii in efficacem, & inefficacem, nostra sententia, ab effectu, qui simul ab arbitrii libertate pendet, sumatur; illudque auxilium sufficientis, si ve majus, si ve minus in se sit, efficacem dicatur, cum quo arbitrium, pro sua libertate, convertitur; cum tamen, nihil eo auxilio impediendo, potuerit non converti.

41. Et §. *Hinc*: Afferimus, inquit, auxilia preveniens, atque adjuvantis gratiæ, quæ lege ordinaria viatoribus conferuntur, quod efficacia, aut inefficacia ad conversionem, seu justificationem sint, pendere a libero concursu, & cooperatione arbitrii nostri cum illis: atque adeo in libera potestate nostra esse, vel illa efficacia reddere, consentiendo, & cooperando cum illis ad actus, quibus ad justificationem disponimus; vel inefficacia illa reddere, continendo consensum, & cooperationem nostram, aut etiam eliciendo contrarium dissensum.

42. Deinde §. *Multa sane*, asserit, hanc doctrinam esse expresse definitam a Concilio Tridentino; gratiamque cooperantem, unam, & eandem numero esse cum preveniente excitante, fortitque rationem cooperantis, quatenus, consentiente jam libero nostro arbitrio gratiæ prevenienti, & cooperanti, per liberam consensum, ad actus, quibus convertimur, atque ad justificationem disponimus, ipsa quoque gratia cooperatur, ac influit in eodem actus. Et ait, se minime videre, quomodo, salva fide Catholica, possit defendi communis Theologorum sententia.

43. Postea vero, quæst. 23. art. 4. & 5. disp. 1. mem.

1. membro 6. §. *Certe*, ait: Certe non dubitaverim, sententiam hanc &c. (S. Thomæ, & Scholasticorum) errorem in fide appellare. Etenim, ea data, non video, qua ratione libertas arbitrii nostri possit salva consistere.

44. Et §. *Postremo*, inquit: Auctores hujus sententiæ nunquam poterunt satisfacere apertissimæ definitioni Ecclesiæ, in Concilio Tridentino, sess. 6. cap. 5. & can. 4. Etenim aperte ibi definitur, ab arbitrio nostro pendere, quod auxilia Divina efficacia, aut inefficacia reddantur, ad nostram conversionem, & justificationem, &c.

45. Post-modum §. *Ad primum*, suam repetit opinionem. Et §. *Utrum autem*, S. Thomæ, & Scholasticorum sententiam, nisi juxta suam opinionem explicetur, nimis duram esse, dicit.

In 9. Congregatione, rursus de Gratia efficacia.

46. In Concordia, quæst. 14. art. 13. disp. 39. §. *Verum*, sic ait: Non video, præter auxilia gratiæ preveniens, & concursum Dei generalem, necessarium esse auxilium aliud peculiare gratiæ, ut liberum arbitrium aliquem illorum actuum possit elicere; Etenim illa tria unam integram causam efficiunt. Idem docuerat disp. 7. (1) §. *Cum autem*. Expandatur totus paragraphus.

47. Et eadem quaestione, & articulo, disp. 39. §. *Illud præterea*, ait: Etenim cum liberum arbitrium &c. Utrique ab inequali conatu, & influxu liberi arbitrii provenire potest, ut, consentiente Deo duobus hominibus aequale auxilium gratiæ adjuvantis, unus eorum intensius operetur, meliusque se disponat ad gratiam justificantem, quam alius: & ut, consentiente eisdem inæqualia auxilia, æque operentur; aut is interdum plus, qui minori suffultus est auxilio. Quod etiam verba Concilii sonare, contendit.

48. In Concordia, quæst. 23. artic. 4. & 5. disp. 1. mem. 11. §. *Postremo*: Cum auxiliis ex parte Dei, cum quibus unus justificatur, & salvatur, alius, pro sua libertate, nec justificatur, nec salvatur; & e contrario.

49. Neque, ait ille, dubitandum est, multos torqueri apud inferos, qui multo majoribus auxiliis ad salutem a Deo donati fuerunt, quam multri, qui in cælo Divino conspectu fruuntur &c. sed quod hi cum majoribus auxiliis prædestinati, & salvi non fuerint, non aliunde fuit, nisi quia pro innata libertate noluerunt uti ita suo libero arbitrio, ut salutem consequerentur; hi vero maxime.

50. Item §. *Denique*: Sint duo homines justii, animo, & corpore, cæterisque adjunctis per omnia pares; ponamusque, Deum constituisse, eodem prorsus modo utrique ex parte sua opitulari, ac providere: tunc, collata utrique eadem peccandi occasione, ex aspectu ejusdem mulieris pulchræ, pro sola innata libertate utriusque fieri potest, ut unus in peccatum consentiat, alter minime, sed se ipsum cohibeat.

51. Quæst. 14. art. 13. disp. 30. (2) §. *Dicendum*, docet, Deum concursu generali non præmovere voluntatem, neque influere prius natura, quam illam, in effectum naturalem, sed simul.

52. Auxilium vero particulare, gratiam prevenientem, dicit, semper vel tempore, vel natura antecedere influxum liberi arbitrii ad actiones suas supernaturales, quibus ad gratiam gratum

facientem disponitur, tanquam causam, principiumque efficiens, in liberum arbitrium immisissum.

53. At vero, hujus oppositum docet disp. 39. (3) §. *Deinde esto*. Non tamen, ait, offer illis concedendum, esse concursum immediatum in liberum arbitrium, ut in causam, quasi prius in eo concursu motum, & a Deo applicatum ad agendum, tales actus eliceret.

54. Disp. 41. (4) a principio, & postea §. *Dixi toties*, videtur sententiam mutare, & quod prius dixerat, corrigere. Dicit enim, gratiam prevenientem, qua gratia preveniens est, tempore, vel natura antecedere influxum liberi arbitrii: eandem vero gratiam, si sumatur, ut posterior tempore, vel natura, & fortitur rationem gratiæ cooperantis, tunc nec tempore, nec natura antecedere influxum liberi arbitrii &c. Legatur cum paragrapho sequenti.

55. Verum disp. 54. (5) §. *Acripe*, dum ordinem motuum gratiæ preveniens explicat, si ejus doctrina attente perpendatur, offendit, se non recte de auxiliis Divinis sentire. Inquit enim: Dum homo, nondum ad fidem supernaturaliter interius vocatus, cogitat, & expendit res credendas, per notitias, Concionatoris ministerio, aut aliunde comparatas, influit Deus in easdem notitias influxu quodam particulari, quo cognitionem illam adjuvat &c. Influxus vero ille dicitur motus gratiæ preveniens ad fidem supernaturalem, & illuminatio &c.

56. Ex cognitione vero earum rerum &c. oritur naturaliter in voluntate motus affectionis in res, ita cognitatas; quo allicitur, & quasi invitatur ad imperandum intellectui assensum, quo eis assentiatur. Cum hoc ergo motu, quasi se inferit etiam Deus, influens in illum per auxilium particulare, illumque eo auxilio quasi acuit, ut magis urgeat, & alliciat, efficaciter illum supernaturalem, ut in suo ordine, & gradu sit etiam ad salutem accommodatus. Auxilium itaque particulare, quo Deus in illum motum influit, appellatur auxilium gratiæ preveniens &c.

Vides ergo, dari a Molina influxum Dei in notitias, aliunde acquisitas, & hunc influxum dici motum gratiæ preveniens. Vides, secundum eundem, ex tali notitia, & cognitione oriri in voluntate naturaliter motum affectionis ad res cognitatas, & in illo motu quasi se inferere Deum.

Nuppiam autem vides, asseri a Molina influxum Dei in intellectum, & voluntatem, ut intelligenti apparet.

In 10. Congregatione, de scientia Dei, media inter naturalem, & liberam, a Ludovico Molina tradita.

57. In Commentariis ad 1. partem, quæst. 14. artic. 13. disp. 17. (6) §. *Triplicem*, sic ait: Triplicem scientiam oportet distinguamus in Deo, nisi periculose in concilianda arbitrii nostri libertate, & contingentia rerum cum Divina præscientia hallucinari velimus &c. . . . Tertiam denique mediam scientiam, qua ex altissima, & inscrutabili comprehensione cujusque liberi arbitrii, in sua essentia intuitus est, quid pro sua innata libertate, si in hoc, vel illo, vel etiam infinitis rerum ordinibus collocetur, acturum esset; cum tamen posset, si vellet, facere re ipsa oppositum.

58. Et §. *Sciscitabitur*. Item memento, quod res,

(1) In edit. Ulyssip. & Ven. exstat disp. 37. (2) In edit. Ulyssip. disp. 29. In edit. Veneta habetur in comme. eadem quæst. & art. disp. 10. (3) In edit. Ulyssip. & in Veneta disp. 37. (4) In edit. Ulyssip. & Ven. disp. 39. (5) In edit. Ulyssip. & Ven. disp. 43. (6) In Conc. Ulyssip. quæst. 14. art. 13. disp. 30. In edit. Antv. disp. 52.

res, libero arbitrio prædita, si in certo ordine rerum, & circumstantiarum collocetur, in unam, aut alteram partem se flectat, nec provenire ex præscientia Dei; quia potius ideo Deum id prædicere, quia ipsa res, libero arbitrio prædita, libere id ipsum agere debet; neque provenire ex eo, quod Deus velit, id ab ea fieri; sed ex eo, quod ipsa libere velit illud facere.

59. Paragrapho *Ex his*: Quamvis Deus nullam scientiam sumat a rebus, sed quidquid agnoscit, id in sua essentia, & in determinatione libera suæ voluntatis cognoscat, & comprehendat; attamen, non quia scit, aliquid esse futurum, ideo illud futurum est; sed e contrario, quia illud futurum est ex suis causis, ideo cognoscit, illud esse futurum.

60. Et quæst. 23. art. 4. & 5. disp. 1. membro ultimo, §. *Nos pro nostra*, asserit, si hæc de præscientia Dei sententia, ac nonnullæ aliæ, a se traditæ, & tanquam principia, ex quibus deduxit novam Concordiæ suæ rationem, explanatæ semper fuissent, ut ipse eas explicavit, quod neque Pelagiana hæresis fuisset exorta, neque Lutherani tam impudenter arbitrii nostri libertatem fuissent ausi negare, obtendentes, cum Divina Gratia, præscientia, & prædestinatione coherere non posse; neque ex Augustini opinione, concertationibusque cum Pelagianis, tot fideles fuissent turbati, ad Pelagianosque defecissent; facileque reliquæ illæ Pelagianorum in Gallia fuissent extinctæ.

In eadem Congregatione, de rerum existentia in æternitate, quam Molina negat, ut Scientiæ mediæ necessitatem probet.

61. Quæst. 14. art. 13. disp. 49. (1) §. *Verum*, negat, præscientiam Dei esse certam, quod fiat omnia præsentia Deo.

62. Et addit §. *Secunda Conclusio*, (2) Res omnes non esse Deo existentes in sua æternitate. Unde infert, non alia de causa esse Dei cognationem & præscientiam certam, nisi quia Deus in sua æternitate habet ideas, & rationes omnium futurorum &c.

63. Et §. *Quod autem*, inquit: Si ponatur, res prius existere in æternitate, quam in tempore, tollitur libertas arbitrii. In impressione Veneta, habetur hæc disputatio in Commentariis ad 1. Partem, eodem articulo, disp. 14.

64. Et §. *Ex dictis*: Scientia Visionis hujusmodi futurorum non est in Deo ab æterno, sed in tempore, quando res ipsæ producuntur.

65. Paragrapho *Sic ergo*: Deus novit certo futura contingentia, antequam sint, ex concurrentia causarum, & circumstantiarum in tali ordine rerum.

66. Paragrapho *Verum*, dicit, doctrinam S. Thomæ circa modum, quo Deus cognoscit futura contingentia, dependentia a libero arbitrio, esse periculosam in fide.

In 11. Congregatione, de Providentia Dei.

67. Ordo causarum, ac mediorum, qui Divina providentia constitutus est, nullam omnino necessitatem libero arbitrio asserit: quod intelligendum est non solum de necessitate consequentis, sed etiam consequentiæ. Ita habet in Concordia, quæst. 22. art. 1. disp. 2. §. *Alterum est*. In Editione Veneta non habetur hæc disputatio: extat tamen in Commentariis, eadem quæstione, & articulo.

68. Et §. *Quoniam ergo*, sententiam D. Thomæ, & Boetii, de certitudine Divinæ providentiæ, & quoad effectus affectionem, falsam esse,

dicit; & quod non dubitaret, eam errorem in fide appellare.

69. Deinde §. *Arbitror tamen*, ait: Quare non omnis ordo Divinæ providentiæ est certus, immobilis, & indissolubilis, quoad effectus affectionem.

70. Articulo 4. ejusdem quæstionis, §. *Illud igitur*, inquit: Nulla ratione admittendum est, effectus omnes, qui in hoc mundo eveniunt, prævisos esse a Deo, ut ita fierent.

71. Et §. *Hinc patet*: Interfectiones, quibus aliqui interdum, præter ipsorum spem, a grassatoribus interficiuntur, suffocationesque aliorum in fluminibus, & his similia; cum saltem a peccato primorum parentum, tanquam pœna ex eo subsecuta, pendeant &c. certitudini Divinæ providentiæ inani; etque subflata, non esse certos hujusmodi effectus. Et articulo 2. §. *Circa effectus*, idem docuerat.

72. Paragrapho *Illud etiam*, Cajetano dandum non est, Divinam providentiam, qua Divina providentia est, includere affectionem finis, ad quam media preparavit, &c.

73. Et articulo 1. disp. 2. §. *Ex his*, docuerat, ordinem Divinæ providentiæ in multis frustrari posse, & frustratum esse &c.

In eadem Congregatione, de Prædestinatione.

74. Acturus Ludovicus Molina de Prædestinatione in Concordia, quæst. 23. art. 1. & 2. disp. 3. cum præmittisset, quid prædestinationis nomine intelligatur, articulo 3. definit, quid sit reprobatio, qui etiam illius effectus. Postea vero novum paragraphum exorditur in hunc modum: Advetendum tamen est, splendorem Divinæ justitiæ in damnatis non solum non fuisse solum, & integrum finem, ob quem Deus statuerit, permittere peccata, sed neque ulla ratione videri concedendum, fuisse vel præcipiam, vel tantum totius finis partem, qua sola sufficeret, ut Deus vellet peccata permittere. Abit namque a fidelium cordibus, de totius bonitatis, & clementiæ fonte suspicari, vel solum, vel præcipuum rationem, quare peccata permittere voluerit, fuisse, ut cum tanta creaturarum jactura, & damno, haberet, quod puniret, & in quo justitia ipsius splenderet.

75. Articulo 4. & 5. disp. 1. membro 6. §. *Utrum autem*, (3) D. Thomæ sententiam de prædestinatione duram nimis sentit. Unde, quibusdam præmissis, quibus D. Thomæ mentem excusare videtur, addit: Mihi non est dubium, non tam dure de prædestinatione, & reprobatione sensisse, quam dure sentiunt, qui auxilia ex efficacia, prædestinationisque per concursum Dei ex se efficacem constituunt.

76. Deinde §. *Quod ad Augustinum atinet*, agens de Augustini sententia, inquit: Multum sane eo tempore nonnullos ex fidelibus turbavit; ea quippe sententia contineri videbatur illud secundum valde durum, quod multos hodie amplecti, ac defendere, paulo ante diximus.

77. Paucis vero interjectis, inquit, se suspicari, Augustinum, & Thomam, si fuissent consulti de communi Scholasticorum sententia, continuo responsuros fuisse, Prædestinationem, & Reprobationem, non sine præscientia qualitatis usus liberi arbitrii, habitaque consideratione illius usus, factam esse. Interim vero, dum sub ea quasi caligine D. Augustinus ad hoc non attendit, arbitratus primo aspectu, cum sua de prædestinatione opinione esse conjunctum &c.

78. Cum interim finxisset, velle se, Divum Tho-

Thomam, & Augustinum interpretari, potius quam negare, §. *Ex his patet*, contumeliose in eos agit. Immo vero, inquit: Esto hi duo Patres in eam sententiam inclinassent, salva eorum reverentia, qua illis debetur maxima, quoad illud secundum admittenda non esset. Quæ enim, non dicam, bonitas, & clementia, sed æquitas patitur, ut, nulla omnino usus liberi arbitrii habita ratione, eo vel solo, vel præcipuo fine, Deus certos quosdam homines ex æternitate elegerit, & prædestinaverit; reliquos vero pene innumeros, non electos, & non prædestinatos reliquerit; sciens, continuo eos futuros reprobos, ut haberet, quos puniret, & in quibus justitiam suam vindictivam commendaret? Certe potius duri, & feri, atque crudelis, &c. eaque ratione magis obscuraretur Divina justitia, quam commendabilis redderetur.

79. Rejuncta itaque Sancti Thomæ, & Augustini sententia, suam de Prædestinatione opinionem explicaturus, mem. 11. §. *Secunda Conclusio*, ita inquit: Licet adultus, ita prædestinatus, certo, hoc est, absque ulla deceptione Dei, vitam æternam consequeretur; certitudo tamen non est ex parte mediorum, effectusque Prædestinationis, sed ex parte Divinæ præscientiæ, qua Deus altitudine, illimitataque perfectione sui intellectus, certo cognoscit, prædestinatum taliter pro sua libertate cooperaturum per suum arbitrium, ut eisdem mediis in vitam æternam re ipsa debeat pervenire &c. contenditque, nihil omnino firmo prædestinationis fundamento impediende, in potestate cuiusvis adulti esse positum, emendare se, fierique vas in honorem, sive in contumeliam.

80. Et §. *Tertia Conclusio*, asserit idem de certitudine Prædestinationis parvulorum: Non est, inquit, ex certitudine mediorum, effectusque prædestinationis, qui in se non est certo futurus, sed ex certitudine Divinæ præscientiæ, qua Deus, altitudine sui intellectus, quod in se est incertum, cognoscit certo futurum.

81. Deinde §. *Septima Conclusio*, ait, Prædestinationis adulti, quoad actum voluntatis Divinæ, per quem compleitur ratio prædestinationis, nempe quoad propositum conferendi illi ea media, quibus, Deus altitudine sui intellectus prævidit, illum pro sua libertate perventurum in vitam æternam, nec rationem, nec conditionem dari, ex parte prædestinati: Præscientiæ tamen, qua Deus ante eum actum id prævidit, ex hypothese quod ex sua parte conferre illi velit ea media, dari conditionem, & rationem ex parte usus, seu cooperationis libere talis prædestinati, sine qua ea scientia non præexistisset in Deo.

82. Hinc colligit, §. *Oitava Conclusio*; ex eadem libera cooperatione talis prædestinati pendere, ut prædestinatio, quæ re ipsa jam ex æternitate fuit in Deo, quoad reliquum, quod ipsa prædestinatio includit, fortiatum rationem prædestinationis, vel retineat solum rationem providentiæ circa illum in beatitudine.

83. Tandem §. *Hinc jam facile*, conatur, quam multis verbis persuadere, non esse magis perfectam providentiam, quantum est ex parte Dei, & auxiliorum gratiæ, circa electos, quam circa reprobos.

84. Sequenti vero Paragrapho, necnon §. *Uterque*, nititur confirmare, unam, & eandem rationem Dei æternam providendi unicuique adulto, sive in se sit de numero prædestinatorum, sive non, pendere a qualitate usus liberi arbitrii ejusdem prævisi, vel quod rationem prædestinationis illius habeat, vel providentiæ duntaxat circa illum, in beatitudine.

85. Unde §. *Duo sic colligit*; quod vero hæc, aut illa providentiæ ratio tali adulto in particulari, rationem habeat, aut non habeat prædestinationis, comparatione illius, ex eo etiam pendet, quod ipse uno, vel altero modo per suum arbitrium sit cooperaturus.

86. Angeli boni non fuerunt prædestinati, nisi ex prævisione boni usus liberi arbitrii ipsorum; ita ut decretum providendi illis eo modo, quo rationem habuit prædestinationis, sicut ab usu liberi arbitrii Angelorum, in unam, aut alteram partem, pro sua innata libertate futuro, sit dependens, tanquam a conditione sine qua non; quod ratio, & decretum providendi illis eo modo vel haberet rationem prædestinationis, vel solum providentiæ singulorum in beatitudinem. Ita docet in Concordia, quæst. 23. art. 4. disp. 1. mem. 11. §. *Possimus confirmare*: In impressione Veneta, in Comment. ad 1. partem, eadem quæstione, & disputatione. In Ulyssipponensi, eadem disputatione membro 9.

87. Paragrapho *Quinta Conclusio*, docet, prædestinationis parvulorum, quoad integrum illius effectum, non dari causam, seu rationem ex parte eorum, sed in Dei voluntatem, tanquam in causam, reducendam esse.

88. Sed, postea ultimo paragrapho hanc constituit postremam Conclusionem: Id, unde fuit dependens, quod rationem prædestinationis parvulorum haberet ratio illis providendi, voluntateque Divina ex sua parte illis conferendi ea media, quibus beantur, est non solum ipsa libera parentum conjunctio ad generationem, & cætera, quibus prolis conservatio, usque ad susceptionem remedii contra peccatum originis pendet, sed etiam libera ipsa remedii applicatio, a quocumque ea fiat.

89. Admodum verisimile est, animam Christi, & B. Virginis ea ratione fuisse prædestinatas in tantam dignitatem; quia prævidit Deus, illas pro sua innata libertate bene usuras suo arbitrio. Ita docet in Concordia, quæst. 23. art. 4. disp. 1. mem. 11. §. *Illud etiam*: In editione Ulyssipponensi, membro 9.

Observandum, Ludovicum Molinam non semel in sua Concordia, & in Commentario ad 1. part. SS. Thomæ, & Augustini doctrinam de prædestinatione veram asserere. Sed, cum in hæc re parum sibi constet, hæc circumstantia magis suspectam reddit ipsius doctrinam.

Nam in Commentariis ad 1. partem, q. 22. art. 4. §. *Illud etiam Cajetano* asserit, Deum electis suis beatitudinem, & media, ad illam assequendam necessaria, non quidem voluntate simpliciter, & absoluta conferre, sed conditionata voluntate, si ipsi idem quoque velint. Deinde vero eodem paragrapho infert, Divinam prædestinationem non esse certam, ex Divina electione satisfactorum, & quod eos prædestinaverit, sed quod ab æterno prævidit, eos bene usuros suo libero arbitrio. Et quæst. 23. art. 4. & 5. disp. 1. mem. 6. §. *Nunc ad Augustini*, qui fuit additus post primam editionem: Et membro 11. Conclusionem 4. & 6. late docet, non dari causam, vel conditionem sine qua non, ex parte prædestinati. Tamen Conclusionem 7. oppositum docet.

Tradit enim, præscientiam, qua Deus prævidit, per hæc media, vel auxilia Petrum, illis bene utentem, perventurum ad gloriam, præcedere in Deo prædestinationem Petri: illius vero perseverantiæ dari causam ex parte prædestinati, nempe bonum usum liberi arbitrii. In quo longe decipitur. Agens enim per intellectum, & voluntatem, prius vult finem, quam media ad illum. Deinde satis aperit mentem suam. Si enim bonus

usur

(1) In Conc. Ulyssip. disp. 47. (2) In Com. q. 14. art. 13. disp. 14. (3) Hic Paragraphus fuit additus post 1. Editionem.